

*O Elveda potens, ó terror virgo virorum,
 Victrix natura, nomine digna viri.
 Te quo splendidior fieres natura puellam,
 Te probitas fecit nomen habere viri.
 Te mutare decet, sed solam, nomina sexus,
 Tu regina potens, Rexque trophæa parans,
 Jam nec Cæsarei tantum meruere triumpho,
 Cæsare splendidior virgo virago, Vale.*

Sub *Rumkborne* paulo interius cernitur *Haulton* oppidum cum suo castro, quod *Nigello* cuidam Normanno donavit *Hugo Lupus* Comes *Cestriæ*, ea lege, ut esset *Cestriæ* Constabularius, per cuius posteros temporum vicissitudine ad familiam *Lancastrensem* devenit. Nec tacendum, quod *Guil.* filius *Nigelli* illius monasterium ad *Norton* adjunctum fundavit, quod nunc ad *Brokos* ex antiqua stirpe spectat. **CANGOS** veteres *Britanniæ* populos diu multumque quæsitos an hoc in agro collocarem, diu multumque subdubitavi. Ita enim suis velis obtendit vetustas, ut nullis hæc hominum politiorum *Iustus Lipsius* me hic iudicem capit, ego ingenue fateor, nihil habeo quod iudicem, & malim illam iudicandi provinciam cuius rogare, quam mihi assumere. Nihilominus si **CEANGI**, & **CANGI** iidem fuerint, & quid ni? satis probabile fit, eos hoc in tractu infedisse. Dum enim hæc recognovi, à fide dignis accepi viginti massas plumbeas hic in ipso littore erutas fuisse, forma oblongiori sed quadrata, in quarum superiori parte, in concavo hæc legitur inscriptio:

IMP. DOMIT. AVG. GER. DE
 CEANG.
 In aliis vero,
 IMP. VESP. VII. T. IMP. V.
 COSS.

Anno Christi 78.

Anno Christi 51.

Quod monumentum videatur erectum fuisse ob victoriam in **CANGOS**. Huc etiam facit ipse situs ad mare *Hibernicum*, scribit enim *Annalium XI* *Tacitus*, Imperante *Nerone* ab *Ostorio ductus in Cangos exercitus, vastati agri, præda passim acta, non ausis aciem hostibus, vel si ex occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. Jam ventum haud procul mari quod Hiberniam spectat, cum orta apud Brigantes discordia retraxere ducem.* Sed ex superiori inscriptione ante *Domitiani* tempora non subjugati videantur, & ex temporum sane ratione, cum *Proprætor* in *Britannia* esset bellicosissimus ille *Iulius Agricola*. *Ptolemæus* etiam **ΚΑΓΚΑΝΩΝ** promontorium hoc in littore collocavit. Nec ego alibi quærere ausim quam in hoc tractu stationem illam **CONGANTIOS**, ubi senescente Romano imperio, numerus vigillum cum suo *Præfecto* sub *Britanniarum* *Duce*, vigilias egit. Sed suum cuique per me liberum esto iudicium.

Concangii.

Comites Cestriæ.

Barones Comitatus Cestriæ.

Quod ad *Comites* spectat, *Saxonibus* omiſſis, qui tantum *Comites* officiales, non hæreditarii erant, *Guilielmus* primus *Hugonem* cognomine *Lupum* *Vicecomitis* *Abrincensis* in *Normannia* filium, primum hæreditarium, & *Palatinum* *Cestriæ* *Comitem* creavit, totumque hunc *Comitatum* tenendum sibi, & hæreditibus ita libere ad *gladium*: sicut ipse *Rex* tenebat *Angliam* ad *coronam*, dedit, (hæc enim sunt verba donationis) qui statim sibi *Barones* substituit, *Nigelum* *Baronem* de *Haulton*, cuius posteri *Lacciorum* nomen, eo quod *Lacciorum* hæreditas illis obrigerat, acceperunt, *Comites*que fuerunt *Lincolniæ*: *Robertum* *Baronem* de *Monte alio* *Comitatus* *Cestriæ* *Seneschallum*, quorum ultimus sine sobole *Isabellam* *Angliæ* *Reginam* & *Ioannem* de *Eltham* *Cornubiæ* *Comitem* hæredes scripsit: *Guilielmum* de *Malbedenge* *Baronem* de *Malbanc*, cuius nepotis filia ad *Vernonos* & *Bassetos* suis nuptiis hæreditatem transtulerunt: *Richardum* *Vernon* *Baronem* de *Sipbroke*, cuius hæreditas deficientibus tandem masculis ad *Wilburhamos*, *Staf-*

Regnum Merciorum.

Nunc **CORNAVIVM** regiones perambulavimus, quæ una cum **CORITANIS**, **DOBVNIS**, & **CATVELLANIS** regnum in *Heptarchia* *Saxonica* constituerunt, quod illi *Wyncna-ſic*, & *Meapc-lond*, Latini *Merciam* dixerunt, à *Meapc* *Anglica* dictione, quæ limitem significavit, reliqua enim regna huic collimitarunt. Longe amplissimum erat hoc regnum inchoatum à *Crida* *Saxone* circa annum **DLXXXVI**, à *Penda* prolatis undique finibus adauctum *Christiana* religione sub *Penda* *Rege* paulo post imbutum. Verum huius periodo annis **CCI** confecta, in *West-Saxonum* potestatem sero concidit, cum omni bellorum injuria à *Danis* non paucis annis fuisset dilaniatum.

fardos, & *Littleburios* per sorores devenit: *Robertum* *Filium* *Hugonis* *Baronem* de *Malpas*, qui, ut videtur, sine sobole obiit, ut prius diximus: *Hammonem* de *Masey*, cuius possessiones ad *Fittonos* de *Bolin* descenderunt: *Gilbertum* *Venables* *Baronem* de *Kindreton*, cuius posteri recta serie ad nostra usque tempora floruerunt, *N. Baronem* de *Stockport*, cui tandem *Warrenni* de *Peymton* è familia illustri *Comitum* *Warrenniæ* & *Surriæ* conjugii jure successerunt. Hi sunt quos hæcenus investigare potui *Barones* *Comitum* *Cestriæ*. Qui, ut est in antiquo libello, *suas Curias habuerunt liberæ de omnibus Placitis & querelis, exceptis Placitis ad gladium Comitatus pertinentibus.* Eorumque fuit, *Comiti* in consilio adesse, eundem observare, & aulam ejus sæpius honoris gratia accedere, atque ut in *Membranis* est verutis, *Tempore guerra in Wallia tenebantur invenire pro quolibet feodo Militis unum equum coopertum, vel duos discopertos infra divisas Cestriæ.* Et eorum *Milites*, & *liberi tenentes loricas & haubergella habeant, & Feoda sua per corpora sua defendant.*

Hugoni *Comiti* primo, de quo modo dixi, successit *Richardus* ejus filius, qui sine prole naufragio periit cum *Guiljelmo* *Regis* *Henrici* *Primi* unico filio, & aliis nobilibus inter *Normanniam* & *Angliam* anno **MCCXX**. *Richardo* successit *Ranulphus* de *Meschines*, Comes tertius *Hugonis* *Comitis* è sorore nepos, filiumque reliquit *Ranulphum* dictum de *Gernonis* quartum *Cestriæ* *Comitem*, virum bellicosum & qui *Stephanum* *Regem* in obsidione *Lincolniæ* cepit. *Hugo* cognominatus *Kevelioc* ejus filius fuit Comes quintus, qui obiit anno **MCLXXXI**, filiumque reliquit *Ranulphum* *Comitem* sextum, nominatum de *Blundevill*, qui cum *Chartley* & *Beefson* castra, & monasterium *De la Cresse* construxisset, sine liberis defunctus hæredes reliquit quatuor sorores, *Matildem* uxorem *Davidis* *Comitis* *Huntingdoniæ*, *Mabiliam* *Guilielmi* de *Albino* *Comitis* *Arundeliæ*, *Agnerem* *Guilielmi* de *Ferrariis* *Comitis* *Derbiæ*, & *Hawisiam* *Roberti* de *Quincy*. In *Comitatu* autem successit *Ioannes* cognomine *Scotus* filius *Davidis* *Comitis* ex *Matilde* illa primogenita. Qui cum itidem nulla suscepta prole diem obiisset, *Rex* *Henricus* *Tertius* tam lauto patrimonio oculum adjiciens *Domanio* *Regio* adscripsit, *Ioannis*que sororibus alios alibi reditus assignavit. Ne (ut ipse *Rex* dixit) tanta hæreditas inter colos diduceretur, ipsique *Reges* postquam ad eos pervenit hic *Comitatus*, antiqua *Palatina* *Jura* & conventus hic tenuerunt (quod *Galliæ* *Reges* in *Campaniæ* *Comitatu* fecerunt) ut *Palatinatus* honorem conservarent. Honor ille deinceps *Regum* primogenitis cessit, & primum *Edwardo* *Henrici* *Tertii* filio, qui cum à *Baronibus* captus, derineretur, *Simoni* de *Monteforti* *Leicestrensi* *Comiti*, ut redimeretur, tradidit: sed *Simone* statim interfecto, ad regiam familiam cito rediit, *Edwardus*que *Secundus* filium suum primogenitum *Comitem* *Cestriæ* & *Flint* instituit, titulisque illis puerulum ad *Comitia* *Parlamentaria* evocavit. E *Comitatu* postea in *Principatum* erexit *Parlamentaria* autoritate *Richardus* *Secundus*, eidemque *Principatu* adjunxit *Castrum* *Leonis* cum territorio *Bromseid* & *Yale*, castrum *Chirck-land*, castrum *Oswaldes-street*, *Centuriam* & undecim oppida ad illud castrum spectantia cum *Castris* *Isabellæ*, & *Delaley*, & aliis latifundiis, quæ *Richardo* *Comite* *Arundeliæ* tunc proscripto, regio *Fisco* accesserant; ipseque *Richardus* *Cestriæ* *Princeps* dictus fuit: verum paucos post annos evanuit illa appellatio, cum illius *Parlamenti* leges refixisset *Henricus* *Quartus*, & recidit in *Comitatum* *Palatinum*, hodieque jurisdictionem *Palatinam* retinet, quam administrant *Camerarius*, *Index* *specialis*, *Barones* *Scaccarii* duo, *Servientes* ad legem tres, *Vicecomes*, *Attornatus*, *Escaetor*, &c.

Cestriæ Comites.

Io. Tillus

Paræcias plus minus 68 habet hic Comitatus.